Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 635
Quelle:
Copyright:

plures ſibi menſes depoſceret, dabo tamen, quod ſatis ſit ad cognoſcendam ejus indolem, et juvandam collationem, ſi fortaſſis aliud alicubi detegeretur Exemplum, quod optandum foret, cum in noſtro non ubique ſenſus ſibi conſtet, ut docebit *Praefatio*, quam integram hic exhibeo:

Summi Poetae qui (quum?) *ſolent in verſibus,*
Quos Imperatorum modulantur laudibus,
Proferre caelum, cum (quum?) *petunt et ſidera*
Aduerſa naturae ſequentes impie,
Tibi ſciens, quae diſplicent, nimis pio
Nihil nefandum, nil niſi uerum loquar.
Nam, qui tribuit mortalibus caeleſtia,
Sapientium damnatur arbitrio pari,
Et, ſiqua uere praedicat, non creditur,
Cum falſa coeperit canens exordia.
Quare, precor, libenter audias tua,
Quae cuncta non ego potero producere,
Non, mille dantur ſi mihi linguae ſimul,
Fons ingenii ſi carmen effundens nouum;
Sed parte, ferre qua ualeo pro uiribus,
Decerpta, lucem conferant quae cantibus.
Quod more miro fit; ſolent nam carmina
Addere decus rebus magis, quam ſumere.
Deo fauente iam ſubibo pondera
Laudis, ſerenus quae releuat uultus mihi,
Praeſens ubique cernitur qui ſenſibus
Arcana nudans principis mitiſſimi.

Jamque Panegyricus incipit:

Accipe romanum clementi pectore carmen,
Accipe, quod ſoleo caeleſti reddere regi
Munere pro vitae, pro pulchro lumine ſolis.
Namque deum ſentis placari carmine tantum,
Quem ſequeris princeps animo iuſtiſſime recto,
Qui tibi regna dedit, cui debes omnia ſoli,
Proſpera quae bellis pariter, uel pace tuliſti.
Audax nam venio praeconia dicere ueſtra,
Quae finit caelum, quibus omnis cingitur orbis.
Nec mirum, tales ex tanta ſtirpe creatos
Pompeii, proprio quos culmine roma locauit &c.

Et